





30.  
12

IN NOMINE JESU!  
WITTEBERGENSIUM THEOLOGORUM  
ACADEMICUM, VEREQVE POENITENTIALE,  
TEMPLUM OMNIUM SANCTORUM,  
TANQVAM

DIVINUM, ET PARADISIACUM,  
ADAMICUM, ET ABELICUM,  
HENOCHICUM, ET LAMECHICUM,  
NOACHICUM, ET ABRAHAMICUM,  
MOSAICUM, ET ISRAELITICUM,  
DAVIDICUM, ET PROPHETICUM,  
IPSIUS ETIAM CHRISTI, ET JOHANNIS,  
POENITENTIALIS PRÆCONIS,  
APOSTOLICUM, ET PATRISTICUM,  
LUTHERANUM, ET CATHOLICUM,  
OMNIUM SANCTORUM TEMPLUM,

1696

CONTRA

VANUM, ET MALESANUM,  
VEREQVE NON POENITENTIALE,  
FICTORUM SANCTORUM TEMPLUM,  
ET REGNUM, SPENERIANUM, PIETISTARUM  
FANATICORUM, ET CHILIASTARUM,  
EX PERPETUO SCRIPTURARUM CONSENSU,  
IPSO MENSE LUTHERANÆ REFORMATIONIS,

*AD DIEM IIX. OCTOBRIS,*  
IN AULA THEOLOGORUM DOCTORALI,  
AD NOMINIS DIVINI GLORIAM,  
VERITATIS COELESTIS CUSTODIAM, ET  
GRATIOSISSIMÆ REFORMATIONIS MEMORIAM,  
ANIMO PIO, GRATOQVE RENOVAT,  
AC OMNES LECTORES

AD SOLENNEM PANEGYRIN DOCTORALEM,

*debita reverentia, benevolentiaq; invitat*  
JOHANNES Deutschmann / D. Prof. Prim. Templi Præpos.  
Senior, & p. r. DECANUS.

PL. XXXII. 6. Dafür (umb Vergebung der Sünden/ in herzlichster Busse)  
werden dich NB. Alle Heiligen bitten zur rechten Zeit!

13. 4. 37.

28



IN NOMINE JESU,  
SALVATORIS POENITENTIALIS  
IN TEMPLO SANCTORUM OMNIUM!

**T**emplum Sanctorum Omnium, Dei Templum, Christi Templum, Academia Wittebergensis Templum! Sed proh dolor! post lapsum Penitentiale Templum. Hoc Penitentiale Templum in Paradiso Jehova Elohim, statim à principio, fundavit, & per univèrsa Veteris Testamenti secula continuavit. Hoc Penitentiale Templum Christus, tempore Novi Testamenti, renovavit, & Apostolorum Ministerio per univèrsam terrarum orbem publicavit. Hoc Penitentiale Templum novissimis temporibus Deus omnis gratiæ, per Megalandrum Lutherum, à sordibus Antichristianis postliminio repurgavit, ac admiranda providentia sua Wittebergensium Academiæ dedicavit, atque donavit. Vocatur Penitentiale Templum, dum in Veteri Messianorum, in Novo Testamento Christianorum, Templum est: Christiani vero sunt natura peccatores, gratia credentes: uno titulo penitentes. Paradisus primum eorum fuit templum! Gen. III. 8. seqq. vereque Primarium, & Catholicum. Primum certe dicitur Templum Penitentiale Paradisus, dum nullum hoc fuit prius, nec eodem prius esse potuit, cum primum in eo publicatum sit penitentiæ preconium. Ab hoc, quoad originem, pendent alia cuncta Penitentiæ Prædicatæ Tempora. Nec aliud nisi primarium extitit. Autor hujus Templi fuit Jehova Elohim, vereque Primarius, Deus, quoad Essentiam, Unus, quoad personas, Trinus, Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Cetus in hoc Templo con-

convocatus, & congregatus, erant *Protoplasti*, quoad apo-  
stasiam *peccatores*, quoad *Messiam*, *Pœnitentes*, & *credentes*.  
*Modus pœnitentiam* inchoandi pariter *primarius* erat: Invi-  
tabat ad *Pœnitentiam* *Elohim* *Providus*, *Pater*, ex *miserericordia*,  
*Elohim*, *Oeconomus primarius*, & *Pœnitentiæ Referendarius*, *Ver-*  
*bum*, & *Evangelista* *pœnitentiæ*; *Elohim* *Spiritus*, *meram spi-*  
*rans*, & *applicans Pœnitentiam*! *O Benedictum Pœnitentiæ sa-*  
*lutaris principium!* *O felix præconii Pœnitentialis exordium!*  
Sequitur enim *Primarius scopus*, *Salus*. In hoc *Templo* quotquot  
*auditores pœnitentes*, *pœnitentiæq; cultores* fuerunt, *Metam*  
*Pœnitentiæ*, *veram salutem*, acceperunt. *Primum hoc Pœniten-*  
*tiæ Templum* excipit *Templum Medium*, quod est *Pœnitentialis*  
*Ecclesia*. Hæc etenim *Domus Dei*. *I. Tim. III. 15. Aula Dei*, vel  
*Civitas*, *Psal. XLVI. 5. hæc Templum Dei*, *I. Cor. III. 16*. Patet  
id ex *Ecclesia Patriarcharum*, & *Prophetarum*, ex *Ecclesia Chri-*  
*sti*, & *Apostolorum*, ex *Ecclesia vera locorum*, & *temporum omni-*  
*um*. Sed ista persequi modo non libet. Accedimus ad  
*Templum Omnium Sanctorum*, quod à *Deo Wittebergensum A-*  
*cademiæ*, & *Civitati*, clementissime cœlitus ædificatum. Hoc,  
ut multa paucis exponam, est *Templum divinæ Providentiæ*,  
*Templum divinæ Pœnitentiæ*, *Templum divinæ Præsentia*:  
*Templum hoc omnium Sanctorum Omniosum* est *Templum*, dum  
*Omina* singularia circum circa conspiciamus, quoties limis  
saltem oculis illud adspiciamus. *Ominosum* certe *Nomen*, dum  
*Omnium Sanctorum Templum*, non equidem *casu*, sed *cœlestis Pro-*  
*videntiæ nutu*, communiter appellatur. O quot latent hic, vel  
ex *parte Dei*, vel ex *parte verbi*, vel ex *parte rei*, vel ex *parte no-*  
*stri*, *Nominis hujus illustris* motiva, sed illa nec recensere licet,  
multo minus eadem expendere placet. Intra *Programmatis*  
angustos cancellos hæc scripto concluditur, ad augustas  
recitationes non extenditur. *Occasio* quidē *denominationis*,  
*injuria temporum illorum*, *magis superstitiosum*, quam *religi-*

*osum, magis Antichristianum, quam Christianum, magis Idololatri-  
cum, quam Theolatrium quid, esse videtur. Fuit tamen de-  
votæ, licet erroneæ religionis indicatiū. Alia templa tū huic,  
tum illi, sicut & alia sanctis aliis assignabantur, ut ibidē cultū  
invocationis acciperent, & exauditionis, ac opitulationis, be-  
neficia cultoribus distribuerent. Sed vano cultu, frustraneo  
conatu! Frustra cultus religiosus ex humanis vel intentioni-  
bus, vel contentionibus, instituitur, atque suscipitur, Matt. XV.  
9. Sed vanū hunc cultum homines prætendebant, Deus autem  
in hoc Nomine sua Præscientia divina verum pænitentiae  
cultum intendebat, & inde Templo Novo Sanctorum Omnium  
Nomen imponebat. Sic cogitationes nostræ non sunt cogitatio-  
nes Dei, nec Via nostræ, Via Dei! Esa. LV 8. Ominosus erat Gloriosissi-  
mus hujus Templi Conditor. FRIDERICUS erat, qui pace dives,  
& locuples, pace divinæ gratiæ, veraque Dei reconciliatione, di-  
tissimus, veram Pænitentiam, ceu primā cælestis Pacis januam,  
ac Officinam, ex consilio Dei, promovere debebat. TERTIUS  
erat FRIDERICUS in serie laudatissima Nominis Hujus  
Electorum: Hic Status Tertii Generis humani, qui pænitentia  
dicitur, præter omnem suam expectationem, ac opinionē,  
omnib9 exoptatissimā, sub divinæ Providentiæ directione, re-  
stitutionem paraturus erat: Primus enim Status Creatio-  
nis, secundus Corruptionis, Tertius Pænitentia, seu Conversio-  
nis. Sub hujus Electoris Regimine, B. Lutherus in hoc Templo  
Papalem Indulgentiam cum vera spirituali Pænitentia com-  
mutare cæpit. SAPIENS cognomine dicebatur, cum tanta  
fuerit hujus Fundatoris Sapiencia, ut Hac in omnium admi-  
rationem, & celebrationem, longe lateque diffusa sit. Pæ-  
nitentia vera Sapiencia, & inter errores vitæ divina Resipi-  
scentia Sic igitur Sapiens Elector, hujus Templi sagacissi-  
mus Fundator, Resipiscentiæ Templum, omine satis felici, Sanctis  
omnibus ædificare, vel initiare voluit. Ominosum erat in-  
stitutum*

*stitutum, quo sanctissimus Autor non tantum sibi, sed etiam cunctis aliis, Ædem, & sedem religionis, atq; devotionis, parare, viamque primum ad sanctos, ex vitio regni Papalis, per Hos ad Deum monstrare suscipiebat. Verum Deus non ad sanctos carnales, sed ad terrestres, non ad mortuos, sed vivos, in consilio suo respiciebat. Sancti tales sunt, qui sanctitatem in studio penitentiae spirituales inter Viatores exercent. Ominosum erat Fundationis Academiae Consilium, futurum Templi Penitentialis Omnium Sanctorum subsidium. Nam cum Pater Misericordiarum Ecclesiae, sub jugo servitutis Anti-Christiana, per multa secula pressae, suae commiserationis, Doctrinaeque purioris fontes rursus aperire, Tempusque Reformationis verae mox adducere constituisset, COR PRINCIPIS ELECTORIS Religiosissimi potenter excitavit, ut omnia Consilia, subsidia, molimina, & alia cuncta, prius ad Academiae fundationem applicaret, & in Witeberga sedem Illustris Musarum, & Mercaturae bonarum literarum, & honestarum artium, prudenter adornaret, ac egregiam humanae sapientiae Scholam, ut Universale studium, ordinaret, quod Sapientiae mundanae Gymnasium, mox etiam divinae sapientiae suscitabulum, & Ergasterium, commodissimum fieret, & in hoc Universali studio Disciplinarum Humanarum, itidem Caestium Doctrinarum Seminarium suos Natales inveniret. Auspiciis divinae Providentiae felicissimis, Seminarium hoc mox factum est locupletissimum Penitentiae, cunctorumque divinarum Mysteriorum Promptuarium. Ut tale fieret, tale foret, tale quoque maneret, propterea B. Megalandrum, Dn. D. Martinum Lutherum Erfordia primum ad Theologiae Licentiaturam, mox ad Ejus Professionem, & demum ad Doctoratum Theologicum vocavit, & modis omnibus Eum ad Penitentialem Reformationem praeparavit, & in Templo Sanctorum Omnium ipsum in Universalem Penitentiae Praeconem inauguravit. Factum id in Hoc Templo Sanctorum Omnium, Anno M D XVII, & quidem Hoc ipso Mense Octobris,*

( qui simul *Universitatis Inaugurationi* proprius erat, ) die  
XXXI. in parasceve *Festi Sanctorum Omnium*, itidem Illustri  
quodam augurio. Natalis Mensis Academiae, Natalis  
Mensis Ecclesiae! Festum illud erat *Antichristianum*,  
sed per misericordiam Dei fiebat *Festum Christianum*: Festum  
erat *Idololatricum*, nunc esse debebat *Theolatricum*; erat antea  
*Papale*, nunc futurum erat *penitentiale*; fuerat ante *Papisti-*  
*cum*, & *Pietisticum*, nunc esse debebat *Mysticum*, & vere *Christi-*  
*anum*; antea solennitas fuerat *Sanctorum Antichristianorum*,  
nunc per Dei gratiam, fiebat *Templum Omnium Sanctorum*  
*Lutheranorum*. SALVE Nunc, ô *Templum Omnium Sanctorum*,  
*Fatum* hoc tuum dudum *expectatum*, ab omnibus Christianis  
*exoptatum*, nunc à Gratia Dei caelitus *donatum*, præter o-  
mnium opinionem, præter ipsius Reformatoris intentio-  
nem, *acceleratum*, & sic *Templum in Nomine Domini*, per veram  
*penitentiam*, in *verbo Sanctificatum*. Salve nunc iterum *Tem-*  
*plum omnium Sanctorum*, & gaude! *Primam inaugurationem*  
in *Nomine Antichristi*, *Romani Pontificis*, accipiebas, eamque;  
per *ceremonias*, & *nugas Papisticas*, videbas, ad *superstitionem*,  
& *idololatriam Antichristianam*, temetipsum miseris homini-  
bus offerebas; sed nunc tibi *divina* contingit *inauguratio*,  
vereque; *solemnis* accedit *initiatio* per solum *Dei Verbum*, per  
veræ *penitentiae præconium*, quod solum est *Cælestis initiationis*  
*principium*, *spiritualis inaugurationis mediū*, *salutaris investituræ*  
*Symbolum*. Et certe *solemnior*, quàm per *penitentiam*, neque; datur,  
neque; dari potest, *Templorum inaugurationis*. *Prima solennis Ecclesiae*,  
vel *Templi Sanctorum*, *inauguratio* fiebat in *Paradiso*, qui tunc tem-  
poris revera dici poterat *Templum Sanctorum Omnium*. Sed  
quis erat *Solemnis Inaugurationis Processus*? *Simplex*, & *rectus*,  
vereque; *perfectus*. *Quomodo* fiebat, per quod *medium Solen-*  
*nis inaugurationis* veniebat? Per *solum Penitentiae Verbum*, per so-  
lum *Verbi Penitentialis præconium*. *Jehova Elobim* ipse *Præco*  
*Penitentialis* erat, nostros *Protoplastos*, peccatores *gravis-*  
*simos*



Simos, ad *penitentiam* invitabat, eos nominatim ad *peniten-*  
*tie τῶν ἁμαρτιῶν, & πρὸς ἔλεος*, vocabat, *Verbum penitentiale* proclama-  
bat: *Adam, ubi es?* per *Verbi virtutem* Eos excitabat, informa-  
bat, & ipsam *penentiā* cordibus ipforum, afflatu *Sancti Spi-*  
*ritus*, inspirabat, qui *Gen. III. 8.* tanquam *Spiritus Dei*, vel *lucis*,  
*tenebras peccatorum* dispellebat, & *penitentiae lucem mysticā* in  
iis accendebat. *Penitentiae Verbum*, atq; *nunciū*, vel *præconiū*,  
hic unicum erat *Inaugurationis Mediū*, & sic *ædificabatur*, ac  
*inaugurabatur*, à *primo conversionis Architecto*, *Primum Omnium*  
*Sanctorum Templum*, quod in loco *sacrificiorum* omnes sancti fre-  
quentare, semetiplos peccatores, morte dignos, per *contri-*  
*tionem*, & *mortificationem penitentialem*, in *brutis vicariis sa-*  
*crificare*, *vitamq; mysticam* in *Messia* per *veram fidem* sibi  
spiritualiter applicare debebant. *Omnibus Sanctis*, qui tum  
latebant in *Protoplastis*, peccatoribus *penitentibus*, hoc à *Je-*  
*bova Elohim* dicatum est *Templum*, nomine pariter, & omne  
SANCTORUM OMNIUM TEMPLUM, cum primis au-  
tem pro *Veteris Testamenti Sanctis* hoc *Templum* est conse-  
cratum. *Secunda Solennis Templi Penitentialis Omnium*  
*Sanctorum Inauguratio* facta legitur tempore *Novi Testamen-*  
*ti*, cum ipse *Messias*, *Summus Penitentiae Praeco*, jam in carnem  
venisset, & tempus *ministerialis praedicationis* jam apparuis-  
set, ibi quoque TEMPLUM OMNIUM SANCTORUM  
*fidelibus Novi Testamenti* solenniter *ædificare*, & ad frequen-  
tationem ejus postliminio referare constituit. *Messias* igitur,  
*Summus Templi Sanctorum Antistes*, & *maximus Penitentiae*,  
*spiritualis Obses*, ac *Optimus*, & *efficacissimus Penitentiae Praeses*,  
*Prodromum* nō alium, instar *Praeonis*, nisi *Penitentialem*, prae-  
misit, *Johannem Baptistam* qui *viam Domino Messia* parare, *Pe-*  
*nitentiam* indefinenter *praedicare*, *veramq; Conversionem*, vel  
*Reformationem*, intimare debebat. *Prædictum* hoc erat  
ab *Esa. XL. 1. seqq.* ubi tanquam *Vox Clamantis in deserto* mun-  
di pro-

di producitur, à *Malach. III. 1.* ubi tanquam *Angelus, preparator penitentialis*, introducitur: ab eodem *c. IV. 6.* ut & ab *Angelo Luc. I. 17.* Hic *Præcon. T.* vel *primus* ejus *internuncius penitentialis*, erat *Penitentiæ Apostoly* verbis, & factis: *Verbis* unice *Penitentiam* prædicabat, & suum, *Penitentiam agite*, subinde repetebat: *Pœnitentiam agite; nam appropinquavit Regnum Cœlorum*, *Matth. III. 2.* factis quoque *Penitentia baptismum* in *Nomine Dei* solenniter inchoabat, ad *Dei* mandatum omnibus administrabat, & non alium, nisi *Penitentia, Baptismum* in remissionem *Peccatorum* accedentibus applicabat, *Luc. III. 2.* Factum est *Verbum Domini* super *Johannem, Zacharie Filium, in deserto; & venit in omnem regionem Jordanis, prædicans Baptismum Penitentia* in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum *Esaie* *Propheta: Vox clamantis in deserto, &c. Ministerialem Reformatorem Ecclesie*, per veram, & unicam pœnitentiam, secutus mox ipse *Dominus*, *Matth. IV. 17.* *Principalis Ecclesie Reformatore, Primus, Medius, & Novissimus, Templi Sanctoꝝ Omnium Fundator felicissimus*, in hoc natus, ut esset *Ecclesie Salvator, vel omnium Hominum*, *Luc. II. 11. & omnium Populorum*, *v. 32.* qui nullum aliud, nisi *penitentialis prædicationis, medium* adhibuit, & hoc unico medio solennem *Propheticæ muneris* administrationem instituit, primum *publicam reformationem inchoando*, *Matth. IV. 17.* dum idem *Oraculum pœnitentiale* repetiit: *Penitentiam agite: Nam appropinquavit Regnum Cœlorum*: semper eandem *publicam reformationem continuando*, cum *penitentia præconium* *Ecclesie* *Domino* fuerit *continuum*, sicut ex omnibus *Evangelistis* est obvium: & tandem eam *Reformationem* his in terris post resurrectionem, ante suam in cœlos adscensionem, *terminando*, *Luc. XXIV. 47.* Ubi *Dominus* desit l. d. ibi *Chorus Universorum Apostolorum* rursus incipere debuit, secundum ipsius *Domini* præceptum: *Sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & præ-*

*Et predicari in Nomine ejus POENITENTIAM, & REMISSIONE PĒC-  
CATORUM NB. in omnes Gētes, incipientibus ab Hierosolyma. Dominus  
in diebus suæ peregrinationis, & prædicationis, in Verbo Penitentia TEM-  
PLUM OMNIUM SANCTORUM inter Judæos ædificavit, dum  
non erat ad prædicandū, & miracula faciendā, missus, nisi ad oves perdi-  
tas Domus Israel, Matib. XV. 24. Dominus idem vero suos Legatos, II. Cor.  
V. 20. Apostolos, Architectos Oecumenicos, I. Cor. III. 9 10. Epb. II. 20. ad æ-  
dificandum, in toto Terrarum Orbe, TEMPLUM OMNIUM  
SANCTORUM, solenniter emisit, nec Illi suæ vocationis officio de-  
fuerunt, sicut Paulus, Gentium Apostolus, Act. IX. 15. testatus est in Atheni-  
ensium Academia: Nunc Deus annunciat hominibus, ut OMNES, UBIQVE,  
Penitentiam agant. Et hanc penitentialem prædicationem, atq; Reforma-  
tionem Paulus in Judæorum, & Gentium, concursu, coram Agrippa, Re-  
ge Judæo, & Festo, Gentili Cæsaris Vicario, verbis notatu dignissi-  
mis urget, & Dominum vocantem introducit loquentem: Dominus  
dixit: Act. XXVI. 15. Vocationis hujus obsequium in sequentibus ex-  
ponit, & ad publicum Judæorum, & Gentium, Testimonium provo-  
cat; v. 19. seq. Pauli Vocatio cæterorum Apostolorum Vocatio. Pauli prædicatio  
penitentialis, reliquorum Apostolorum prædicatio penitentialis. Sicut me misit Pa-  
ter, ita & Ego mitto vos, nim. ad penitentia præconium, Esa. LXI. 1. seq. & ad peniten-  
tia Testimonium, Luc. XXIV. 47. Hinc Petrus nomine Collegarum omnium in Uni-  
versali Concilio Nationum omnium, quæ sub cælo sunt, Act. II. 5, in Generalibus Ec-  
clesiæ Christianæ primitiis, sub Architecto Principali, Spiritui Sancto, nullū aliud, nisi  
Penitentia Consilium, interrogantibus communicare potuit, v. 38. Penitentiam a-  
gite &c.. Hoc in Festo Pentecostali Templum Omnium Sanctorū ab Apostolis est incho-  
atum, & postmodum ad perfectam ejus structuram, in Orbe toto continuatum.  
Novissimis temporibus in ira media Deus misericordie suæ memor, Habac. III. 2.  
esse voluit. Ira gravissima divini furoris, per multa secula, miseros homines, sub  
Antichristi jugo, presserat, Status omnes humani Generis meris confusionibus in Ba-  
bel scatebant, & ad interitū usq; tendebant; Summi, & Imi de Tyrannide Papæ diu  
satis omnia loca querelis replebant, nunc autem tempus liberationis, per divinam  
clementiam, appropinquabat. Nullum inter homines hujus Captivitatis Babyloni-  
ca remedium apparebat, Deus sol' tam inveterato malo manū medicā applicare no-  
verat. In primis Nundinationes sacrorum, cum primis Indulgentiarum Papalium,  
in immensum creverant, & thesauros omnes mundi Romam traxerant, neque Si-  
monia detestanda met a certa, vel modus ullus dari poterat. Quod Imperatorū, Regum,  
atq; Principum Gladius per magnos Exercitus, vel alia Politica consilia, nec in Au-*

lis tentare, neq; præstare valebant, pro *Sapientia sua Divina Bonitas*, per unius *Monachi*, vel *Professoris Wittebergensis*, calamum in *Templo Sanctorum Omnium parvis initiis*, sed *admirandis*, per innumeras, easque coram humanis oculis insuperabiles *Difficultates*, *successibus*, *Deo sit laus!* effecit. *Praxis hominum* est, ex *magnis parva*, sed *Dei praxis* ex *parvis* in *Ecclesia magna* facere. *Papales Indulgentias* in *vicinia Johannes Tezelius*, cum primis in *Jütroboga*, *Patria mea dulcissima*, venum exponebat, earumque *valorem super omnia* vehementer extollebat. Magno numero, cum aliis, *Wittebergenses Cives* ad hanc *Mercaturam*, circa *nundinas Martinianas*, excurrebant, & agmine facto *Cœnobium Augustinianum*, *B. Lutheri Contubernium*, prætercurrentes, *plateas*, & *vias*, replebant, ac *vanas Indulgentiarum merces* in *cœlum usque*, contra *manifestum Dei Verbum*, ipsumq; *rectæ rationis dictamen*, evehebant. Movit, hac occasione, *Spiritus Dei*, *Spiritus Veritatis*, piū, & religiosum hunc *Monachum*, ut ad alios revocandos, ad alios retrahendos, *Theses vere Penitentiales*, contra *vanas*, & *falsas*, *vereq; maledictas indulgentias*, in chartam conjiceret, in *Profesto Sanctorum Omnium* ad *Templum Omnium Sanctorū* accederet, publicisq; *Templi Valvis*, sed ad *Disputandū* initio tantum, affigeret. Nihil de *Reformatione* cogitabat, nihil de suis *Thesibus* præclari judicabat, *Pontifici Romano* nihil in his, ex animi sui sententia, præjudicabat, *Thrajonico* tantum *Indulgentiarū* *Impositoribus*, earum *vanitatem*, & *absurditatem*, demonstrabat, & *miseram plebeculam*, vel etiam *alios incautos*, ab his *dolosis mercibus* avocare, & ad *veram Omnes peccatores penitentiam*, juxta scripturam, convocare studebat. Nam in prima statim *Indulgentiali Thesi* provocabat ad *Magistrum Ecclesie*, *Dominum Nostrum Jesum Christum*, ejusque *consilium*, & in omnibus peccatorum angustiis *probatissimam Arcanum*, *Veram Penitentiam*, omnibus commendabat, & hoc in *Templo Sanctorū Omnium*, propter *Magnum populi concursum*, publicabat, scribens: *Dominus, & Magister Noster, Jesus Christus, dicens: Penitentiam agite: nam appropinquavit Regnum cœlorum: Christianorum Vitam voluit esse perpetuam Penitentiam!* O *admirandam Dei Proneam!* O *Venerandam Divine Voluntatis Eudoxiam!* O *nunquā satis deprædicandam Penitentialem Harmoniam!* *Divinum Primæ prædicationis penitentialis Christi*, vel ejus *Præcursoris Johannis* in *N. Test.* factum est *initium*, verbis notatu, consideratuq; dignissimis: *Ecclesiasticum Novissimæ Reformationis*, per *B. Megalandrum*, *exordium* nullis aliis verbis fieri debuit. *Penitentia agite, &c.* *Memorabilis* hic inter *Magistrum, Christum Jesum, & Ministrum, Lutherum*, consensus! *Notabilis* inter *Ecclesie N. Test. Primæ, Novissimæq; tempora* concentus! *Admirabilis* inter *prædicationis primæ penitentialis, & ultimæ* successus! *Laudabilis* etiā *utriusq; salutaris fructus!* Et innumera forent alia *singularis Harmonias* utrinque *Symbola!* Sed his, sicut & aliis, chartas modo concedere non licet. Revertimur Nos ad *Illustre Wittebergensium Templum Omnium Sanctorum*. Hoc ex *divina Providentia*, sicut indicatum, *illustre Nomen, & Omen*, accepit. Hoc ex *divina Cle-*  
*mentia*

*mentia, sedes, & Aedes, Lutherana Reformationis non humanis, sed divinis Con-*  
*siliis, est factum! Hoc, ex divina Gratia, nobis Theologis in puritate Verbi, simul*  
*etiam in sinceritate Penitentialis Praeconii, servatum! Hoc, ex divina benignitate,*  
*nostris adhuc sanctis laboribus, divinis cultibus, & Honoribus publicis, destinatum!*  
*Reformatio B. Lutheri, per Sancti Spiritus adfistentiam, adhuc est, nostra Reformatio,*  
*Misericordias Domini in aeternum cantabimus, in generatione, & generatione annun-*  
*ciabimus veritatem in ore nostro, Psal. LXXIX. 1. Venite, exultemus Domino, jubile-*  
*mus Deo, Salutari nostro. &c. Hoc Nostrum Wittebergense Templum Omnium San-*  
*ctorum, vere Lutherinum, non est humanum, sed divinum, non est ceremoniis va-*  
*nis, sed verbis divinis consecratum, non est mundanae sapientiae, sed mysticae Re-*  
*sipiscendiae, spirituali penitentiae, dicatum! Hoc Academicum Theologorum Witte-*  
*bergensium Templum Omnium Sanctorum, juxta Titulum, est vere divinum, à Deo*  
*primitus in conversione nostrorum Protoplastorum inchoatum, & consilio divino fun-*  
*datum. Peccatores erant Protoplasti, nec sine penitentia sincera rursus ad Deum*  
*venire poterant. Ex non sanctis, peccatoribus, Sancti Dei cultores fieri debebant,*  
*cum omnibus posteris! Festum igitur Penitentiale, Templum etiam Omnium San-*  
*ctorum, Deus omnis Gratia sapienter ipsis destinabat. Templum ita Sanctorum O-*  
*mnium vere divinum est. Est etiam Paradisiacum, in ipso Paradiso solenniter incho-*  
*atum, non ut ibi maneret, sed ut, cum Penitentibus hominibus, è Paradiso dimissis,*  
*in orbem transfret, & sanctis omnibus in Ecclesia semper inserviret. Hinc nostris*  
*Protoplastis sacrificiorum destinatus est locus: Sacrificiale monumentum est Peniten-*  
*tiale Templum, & quidem Omnium Sanctorum. Nulli liquidem coram Deo Sancti*  
*sunt, nisi qui per veram Penitentiam ad Deum accedunt, Mundi regnum deserunt,*  
*& Dei Regnum eligunt. Hinc Templum Omnium Sanctorum vere dicitur Adami-*  
*cum. Adam in Paradiso certum sacrificiorum locum viderat, & Templi peniten-*  
*tialis, vel exercitii Sacrificialis, Ritus à Summo Sacerdote, Messia, didicerat. Ejectus*  
*igitur ex paradiso, cum Eva, mox de loco sacrificiali constituendo, vel eligendo, so-*  
*licitus fuit, ut exercitiis penitentialibus indulgere posset. Nam Typicum à dami*  
*sacrificium nihil aliud fuit, quam perpetuum Penitentiae Gymnasium! Templum Sa-*  
*crificiorum fuit Templum Omnium Sanctorum, dum Protoplasti partim ipsi, partim*  
*cū suis, tunc omnes sanctos repraesentabant. Hoc nostrum Templum Omnium San-*  
*ctorum etiam in Abelico sacrificiali Templo fundatum. Primus ille nominatur, &*  
*numeratur inter Magnos Fidei, sub Vet. Testamento, Heroes, & Heroinas, in Illustri*  
*Catalogo Sanctorum, Heb. XI. 4. & solus hic à Christo Salvatore, tanquam justus,*  
*celebratus est, Matth. XXIII. 35. Hic aram Sacrificialem, tanquam Templum O-*  
*mnium Sanctorum, seria penitentia condecoravit, & hinc uberiozem, gratiozem,*  
*acceptiozem hostiam obtulit. Nam Gen. IV. 4. legitur, quod Abel de Primogenitis*  
*gregis sui, & de adipibus eorum obtulerit, in multa penitentia, veraq; in Messiam*  
*fiducia, & sic Dominus respexit ad Abel, & ejus munera: sed ad Cainum, hypocri-*

*tam, penitentia destitutum, respicere noluit, nec propter fidei defectum potuit. Felices illi sunt, qui Templum Omnium Sanctorum cum Abele frequentant, & penitenti corde sibi Messiam appropriant, & per Hunc à Patre Gratiam omnem, cum primis remissionem peccatorum, impetrant. Ad Henochum Patriarcham pergitur, & in ejus doctrina, & vita, Templum Omnium Sanctorum penitentiale conspicimus. Moses de Hoc Patriarcha refert, quod non tantum ipsemet in vera penitentia coram Deo semper ambulavit, sed aliis quoque vita penitentialis exemplar extiterit; hinc Judas v. 14. recenset, quod sua doctrina gravissimus penitentiae praeceptorum suis coetaneis fuerit, & peccatores contumaces, per conciones de judicio novissimo, semper ad veram penitentiam vocavit: Ecce venit Dominus in Sanctis, &c. Haec Concio vere penitentialis est, quam Henoch, non in angulo, sed in loco sacrificiorum publico, in Ecclesia conventu publico, habuit. nimirum in Templo Sanctorum Omnium, ubi viguit verae penitentiae studium, & Exercitium, & splenduit Sanctorum & Peccatorum divorcium. Nam peccatores Homines coram Deo tunc demum ambulant, quando Penitentiae semitas ambulant, praxinque penitentialem observant. Henoch in talibus optimus erat Practicus in Omnium Sanctorum Penitentiali Templo, qua de causa factus est primus aeternae gloriae Candidatus. Sic etiam Nostrum Templum in Henocho conspicuum. Nec inter Patriarchas ante diluvium alia deficiunt exempla. Lamech illustre vaticinium suo tempore proposuit Gen. V. 29. Iste Messias consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus. Omnes homines erant peccatores laborantes, & onerati, sed in omnibus laboribus, & oneribus, Messias unicum, & optimum, idque tutissimum Asylum, sicut ipse Christus inquit, Matth. XI. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, ego reficiam vos. Egregia certe comparet inter verba Christi, & Lamechi penitentialia harmonia, quam modo pluribus exponere non vacat. Hoc unicum saltem addimus, quod haec sit vera Concio penitentialis ad Templum Omnium Sanctorum resipiscentium pertinens. Nam Templum requirit Concionem, Concio respicit Templum Sanctorum. Nec aliud de Noachodendum erit. Hic inter Concionatores Penitentiales, ante, & Post diluvianos praecipuus extitit, dum circa Diluvii tempus, Vita non tantum, sed etiam praeronium ejus incidit; Caput VI. Genes. materiam differendi copiosissimam nobis offerret, si modo Programmatis brevitatis eam caperet. Hoc unicum allegare placeat, quod Noa fuerit Oecumenicus ad omnes antediluvianos Penitentiae Praeceptorum, divinitus peculiariter ad id vocatus, & ad gravissimos peccatores antediluvianos ob penitentiae praeronium ablegatus. Amplissimum igitur erat Penitentiae Templum, Noachicae Praedicationi Penitentiae destinatum, idque fuit Templum Omnium Sanctorum, in quo Nonnulli Patriarcharum superstitibus erant, & precibus suis ardentissimis diluvii poenam, divinitus praedictam, ob Dei longanimitatem per 120. annos retrahabant. Templum igitur Omnium Sanctorum Resipiscentium tempore Noachi quoque*

que locum invenit. Propius ad *Primordia Templi sacrificialis, & Penitentialis*, nobis in *Abrahamo* manifestati, jam accedimus. Nam *Abraham*, ceu *Pater omnium fidelium*, maxime veneratus *sacrificiorum locum publicum*, ut *Omnium Sanctorum Penitentiale Templum*. Talem *Aram* ædificavit C. XII. 8 XIII. 18. &c. in primis cap. XXII. 1. seqq. ad montem *Moriab*, futuri Templi locum, divino, speciali q; mandato fuit ablegatus, ut magnum, in *Isaaco Filio*, sacrificialem *Messiae* typum offerret, & *Exemplar omnibus sanctis* fieret. Hic certe *Templum Omnium Sanctorum*, *Festus* quodam *penitentiali*, fuit *præfiguratum, insinuatum, indicatum, & fundatum*. Hic *Dominus Videt*, & cor contritum, tanquam *penitentiale sacrificium*, respicit, & adspicit. Sequitur nunc *Templum Omnium Sanctorum Mosaicum*, ab ipso *Messia*, post *Moscholatriam*, & *populi fere totalem Apostasiam*, coram *Mose*, vel *adificatum, & publicatum*, *Exod. XXXIV. 6. seq.* Et hoc est *Mosaico - Israeliticum Templum*, sicut eadem fere verba *Domini Moses Israelitis* repetit in magna, pro *rebellibus Israelitis, intercessione, Numer. XIV. 17.* De hoc *Israelitico Sanctorum Omnium Templo*, multa tum ex *Mose*, tum ex *Samulis libris* vel aliis adducere possemus, sed ad finem properandum, Respicimus ad *Davidicum Omnium Sanctorum Templum*, quod ipsissimis verbis in *Titulo* notavimus, ex *Psal. XXXII. 6.* & pluribus, ex omnibus *Psalms Penitentialibus*, egregiis, iisq; *vivis coloribus* depingere possemus. Imprimis *David* semetipsum exemplum, vel etiam *Exemplaris loco*, producit *Psal. LI.* ex quo saltem *imaginem vivam, vere penitentis Messiani*, nunc afferre placet, v. 12. *Cor mundum crea in me Deus, &c.* Summa conspiciuntur in his *Templi Sanctorum Omnium* verbis, *Magnalia, privilegia, cimelia, & beneficia!* Sed illa ne utiquã allegare possumus. Ex *Prophetis* omnibus etiam *Templum Omnium Sanctorum Meta-noeticum* introducere promptissimum foret, sed angustia chartarum id prohibet. In compendium ducimus omnes, & *Apostoli Petri*, vel potius *Spiritus Sancti, Testimonium*, hac de re tantummodo proponimus, *Act. X. 43. Huic (JESU) Omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum* (per veram penitentiam) *accipere per Nomen ejus, omnes, qui credunt in eum.* O quam *harmonicus* in his, & aliis, totius Veteris Testamenti, de *Templo Sanctorum Omnium penitentiali, concentus!* Nec aliud *locus N.T. Circulus* nobis attestatur. *Ante Messiae præconium, Johannes Baptista*, limes V. & N. Test factus est *Templi Penitentialis Omnium Sanctorum Architectus*. Nam ad eum *exibat Tota Hierosolyma, & omnis Judea, & omnis Regio, circa Jordanem: & baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua, juxta veram penitentiam.* Properarunt omnes ad hoc *Omnium Sanctorum Penitentiale Templum*, ut audirent *conciones penitenciales*, quia magna cum contentione *Johannes penitentiam prædicabat, & inculcabat; & Baptismum penitentiae* reciperent in *remissionem peccatorum, Luc. III. 3. Messias* ipse nihil aliud prædicare volebat, quod ex praxi perpetua manifestum, nec aliud, nisi *penitentiam*; annunciare debebat, sicut ipse prædixerat, *Esa. LXI. 1. Spi-*

ritus Domini super me, eo quod unxit me Dominus, ad Evangelisandum afflictis  
misit me, ad alligandum contritos corde, ad predicandum captivis liberationem,  
& vinculis aptionem carceris, ut predicarem Annam placabilem Domino, & Di-  
em ultionis Deo nostro, ut consolarer (Esa. XL. I.) omnes lugentes, ut ponerem  
fortitudinem lugentibus Sion, ut darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro lu-  
ctu, pallium laudis pro Spiritu mœroris, & vocabuntur in ea arbores justitie, plan-  
tatio Domini, ad glorificandū. Et hoc Oraculum tantæ fuit apud Salvatorem æsti-  
mationis, ut in prima Concione Nazarethana, loco textus, Luc. IV. 18. illud assu-  
meret, & concionis instar, cum omnium, non tantum admiratione, sed etiam ob-  
stupefactione, summo cum applausu, proponeret, & exponeret. Totum Aposto-  
lorum Collegium, per universum terrarum orbem nihil aliud intendit, nihil aliud  
attendit, ad nihil aliud contendit, quam ut ubique locorum Catholicum paniten-  
tiale Templum Sanctorum Omnium ædificarent, & in usum salutarem animarum,  
illud omnibus hominibus indicarent, ac ad illud eos in universum manu quasi  
ducerent. Largissima, & vix numerosa, series foret Templorum Panitentialium  
Omnium Sanctorum, si loca singula, quoad Oracula classica, modo nostra facere  
vellemus. Longe quoque copiosior fieret Catalogus, si Scripta Patrum, fugitivis ocu-  
lis, & pedibus, transire saltem institueremus. Sed hæc superant nostras chartas,  
& transiliunt arctioris Programmatum limites. Nec quicquã de Pietistarum Regno,  
vel Templo, perfectionis hic Divinus Catalogus affert, neque quicquã hic afferre po-  
test. Valeant hæc inventionis propriae Tempora! Sufficit nobis Hic ingens Appara-  
tus Biblico-Ecclesiasticus, satis illustris, ad Nostrum Lutheranum Omnium Sancto-  
rum Templum, & amicissima nostri temporis cum omnibus præteritis in Ecclesia con-  
spiratio. B. Lutherus, Divinus Reformationis Minister, in hoc Templo Sanctorum O-  
mnium Panitentialem Restaurationem, suis Thesibus panitentialibus inchoavit,  
& repente, tanquam Angelus per medium Cœli volans, & æternum Evangelium an-  
nuncians, per loca nostra, per regna vicina, per totum fere terrarum orbem, loco  
Papalium Indulgentiarum, Veram Panitentiam, Jubilæum illud magnum gratuitæ  
Remissionis peccatorum, publicavit. Apoc. XIV. 16. Laudate Dominum omnes gen-  
tes, laudate eum omnes populi: quoniam confirmata est super nos misericordia  
ejus, & veritas Domini manet in æternum. Lauda Templum Omnium Sancto-  
rum, vere Lutheranum, Deum tuum: Canta Domino canticum novum, quia mi-  
rabilia fecit in terra: notam tibi fecit Dominus salutem suam, in conspectu Gentium  
revelavit in te justitiam suam: recordatus est misericordie sue, & veritatis sue Do-  
mni Israel: Viderunt omnes termini terra salutare Dei nostri. &c. Lauda Witte-  
bergenis Jerusalem, lauda Deum tuum Saxorum Sion: quoniam confortavit se-  
ras portarum tuarum, & benedixit filiis tuis in te: qui posuit fines tuos pacem, &  
adipe tritici satiat te: qui emittit eloquium suum terra, velociter currit sermo  
ejus. &c. Qui annunciat verbum suum Jacob, statuta, & judicia sua Israel: Non  
fecit



*fecit valiter omni Nationi, ( sicut Wittebergæ, vel Nostro Templo Sanctorum  
Omnium,) & judicia sua non manifestavit eis, Halleluja! Salve nunc iterum  
Wittebergense Templum Omnium Sanctorum. Magnalia Domini sunt olim in pri-  
mæ Reformationis initio Tibi multiplicata! Magnalia Domini sunt jam fere  
per bina Secula Tibi per Divinam Beneficentiam magnificata! Magnalia quoq;  
Domini, nostris etiam diebus, Tibi sunt coronata! Sit Benedictio Tua, Deus Pa-  
ter! Sit Corona Tua, Rex Regum, & Dominus Dominantium, Benedictio omnis  
fons, & origo, Salvator tuus! Sit abundantia tua Sanctus Dei Spiritus, omnium  
Bonorum, & Donorum Autor, & Indulgentissimus Collator! Nullæ maledictiones  
inimicorum, & Invidorum Tibi noceant! Omnes Benedictiones Domini fe-  
licitatem tuam augeant! Sit in omnibus Nomen Domini Benedictum! Amen!  
Hanc nostram Benedictionem promovet Cælestis Gratia per AULAM DOCTO-  
RALEM præsentem, in cujus Honorem Hoc PROGRAMMA publicare debui-  
mus, dum hanc Solemnitatem Academicam adornavimus.*

*Quod igitur faustum, atq; fortunatum sit, in Nomine SS. Trinitatis DEI  
PATRIS, FILII, & SPIRITUS SANCTI, DEI BENEDICTI, Sub Gratio-  
sissimis Auspiciis, SERENISSIMI AC POTENTISSIMI DOMINI,  
DN. FRIDERICI AUGUSTI,  
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, AC MONTIUM, NEC  
ANGRIÆ, ET WESTPHALIÆ, DUCIS, SACR. ROM. IM-  
PERII ELECTORIS, ET ARCHIMARESCHALLI, LAND-  
GRAVII THURINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ, AC  
UTRIUSQUE LUSATIÆ, BURGGRAVII MAGDE-  
BURGENSIS, &c. &c. HEROIS INCOMPARABILIS, DO-  
MINI, ET NUTRICII NOSTRI BENIGNISSIMI, PATRIÆ  
PATRIS INDULGENTISSIMI, &c. RECTORE MAGNIFICO,  
VIRO NOBILISSIMO, AMPLISS. EXCELLENTISS. DN. CHRI-  
STIANO RÖHRENSÉE, PHILOSOPH. PRACTICÆ PROFES-  
SORI PUBLICO CELEBERRIMO, ALUMNOR. ELECTORALIUM  
EPHORO SPECTATISSIMO: PROMOTOR AD HUNC ACTUM  
DOCTORALEM, JUXTA LEGES CONSVETAS, DESIGNATUS,  
VIR SUMME REVERENDUS, MAGNIFICUS, AMPLISSIMUS, ET  
EXCELLENTISSIMUS, DN. PHILIPPUS LUDOVICUS HANNE-  
KENIUS, SS. THEOLOG. DOCTOR, ET PROFESSOR PUBLICUS  
MERI-*

MERITISSIMUS, CONSISTORII ECCLESIASTICI ASSESSOR  
GRAVISSIMUS, &c. VIRIS LAUDATISSIMIS, MAXIME REVE-  
RENDIS, AMPLISSIMIS ET EXCELENTISSIMIS, DE RE ECCLE-  
SIASTICA, VARIIS IN LOCIS, JAM OPTIME MERITIS, ET PER  
DEI GRATIAM ADHUC PRÆCLARE MERITURIS.

DN. CHRISTOPHORO CHRISTIANO HÆNDELIO,  
SS. THEOL. LICENT. MERITISSIMO, & LAUDATISSIMO, SE-  
RENISSIMI PRINCIPIS, AC MARCHIONIS BRANDENBURGEN-  
SIS ONOLSBACENSIS CONSILIARIO ECCLESIASTICO, ET AD  
D. GUMPERTI, PASTORI, AC ANTISTITI VENERABILI,

NEC NON

DN. CHRISTOPHORO SAMUELI MARTINI, SS. THE-  
OLOGICÆ LICENTIATO, DUDUM OPTIME MERITO, ECCLESIAE  
LIEBENWERDENSIS PASTORI VIGILANTISSIMO, VICINARUM  
TOTIUS DIOECESeos SUPERINTENDENTI SPECTATISSIMO,

*Summos in Theologia DOCTORALES HONORES, INSIGNIA, &  
PRIVILEGIA, sub Præsidio SS. TRINITATIS, in Conspectu Sanctorum  
Angelorum, Totius Ecclesie, & Academiae, futura Die Jovis, qui dicitur O-  
ctobris Octavus In TEMPLO SANCTORUM OMNIUM Solemnibus Ri-  
tibus, atq; Ceremoniis publicè conferet, piisque precibus una cum tota Con-  
gione congregata, Dona Spiritus Sancti Gloriosa, Copiosa & fructuosa, futu-  
ris ipsorum Laboribus, & Meritis, cœlitus religiose distribuet. Ad Hoc  
DOCTORALE THEATRUM, MAGNIFICUM DN. RECTOREM,  
PRÆILLUSTRES DNN. LIBEROS BARONES, PATRES AC CIVES  
ACADEMIÆ, NEC NON HONORATISSIMOS HOSPITES, & AU-  
DITRES OMNIUM ORDINUM fauentissimos, reverenter ac bene-  
vole invitamus, insuper rogantes, ut in hoc Templo Sanctorum Omnium  
vere Penitentium, ex fervore Spiritus Sancti, calidissima; pro SERENISSI-  
MI PATRIS PATRIÆ, TOTIUS ECCLESIAE, ACADEMIÆ, Salute,  
VERITATIS cœlestis conservatione, Omnium Tristium Fatorum aver-  
sione, multiplicique GRATIÆ Cœlestis, IN PRIMIS MAXIME REVE-  
RENDORUM NOVORUM DOCTORUM, BENEDICTIONE, pœni-  
tenti corde, confidentique animo, Vota facere; DEOQUE BENEFA-  
CTORI pro cunctis, maxime præsens beneficiis, publicis, & privatis,  
devotas gratiarum laudes dicere velint! Sit DEUS NOSTER *Benedictus**

*in Secula Seculorum! Amen!* P. P. DOMINICA XVII. POST

TRINITAT. ANNO M DC XCVI.

Ye 3447

ULB Halle 3  
003 033 120




Sb.

V317

03, 2001 Bd.





WITTEBE  
ACADEMIC  
TEMPLUM

DIVINI  
ADAM  
HENOC  
NOACH  
MOSA  
DAVID  
IPSIUS

PC  
APOS  
LUTE  
OMNIUM

VAN  
VER  
FICTORU  
ET REGN  
FANA  
EX PERPE  
IPSO MENS

IN AULA T  
AD NO  
VERITA T  
GRATIOSIS  
ANI

AD SOLENN  
debit  
JOHANNES D

PC,XXXII. 6. Dafür  
werden die

ORUM  
ALE,  
ORUM,

M,  
M,  
M,  
M,  
M,  
A,  
S,

UM,

UM,  
UM

SU,  
ONIS,

DRALI,

, ET  
AM,

LEM,

oli Præpos,

(sicher Busse)  
it!

30.  
12

1696

13. 4, 37

